



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

xx [i.e. xv]. In distinctione rationis non fit præcisio objectiva.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)



est similis, secundum alteram dissimilis, ergo hæ formalitates dantur à parte rei, & inter eas distinctio. Nam secundum totam essentiam est bruto similis & dissimilis, id est, imperfectè similis; quod enim imperfectè est simile, etiam est dissimile, non tamen est similis, & non est similis. Sic itaque res una secundum idem potest esse similis & dissimilis, non tamen æqualis, & inæqualis, cum æqualitas non admittat *magis & minus*.

XV. In distinctione rationis non committitur præcisio objectiva, quâ intellectus rem unam eandemque ita dividat per suos conceptus inadæquatos, ut cognitâ unâ objecti perfectione, prorsus non cognoscat alias priori identificatas, V. G. possit in Petro cognoscere principium sensationum, non cognito principio ratiocinationum, ac si principium ratiocinationum non esset in Petro. Ubi enim non est unum & alterum, ibi non potest cognosci unum sine altero, sed in re una & simplici non est unum & alterum, ergo; adeoque si cognito animali in Petro, non cognosceretur rationale, quod non est aliud ab animali, idem cognosceretur & non cognosceretur, quod non minus repugnat,



pugnat, quàm idem amari, & non amari, idem videri & non videri. Ad quod dicere, non repugnare rem realiter unam, intentionaliter tamen multiplicem cognosci & non cognosci, est petere principium, & respondere per circulum; rem enim intentionaliter esse multiplicem, juxta Adversarios est; rem posse variis conceptibus, objective præscindentibus concipi, quod est in quæstione, ideoquæ, iterum ajunt, potest diversis conceptibus objective præscindentibus concipi, quia est virtualiter multiplex. Etsi igitur quis à longè videns animal affirmare possit, illud, quod videtur, esse animal, & affirmare non possit, vel etiam negare possit, illud esse rationale, non cognoscit tamen ideò eadem cognitione animal, non cognoscendo rationale; nam licet neget esse rationale, adhuc cognoscit rationale, sed confusè in ordine ad sensationes, adeoque non determinatur ad affirmandum, esse rationale, sed manet liber ad illud negandum. Cujus ratio est, quòd non habeat species ratiocinationum, sicut habet sensationum, per quas connotatorum seu operationum species illorum principia in se imperceptibilia, nullasquæ  
speci-



species sensibus imprimantia, cognosci queunt. Unde aliud est, cognoscere rationale, ad quod sufficiunt species haustæ à sensationibus animalis rationalis, aliud, cognoscere esse rationale, ad quod requiritur, ut quis habeat species ab ipsis ratiocinationibus emissas. Aliud item est, habere species rationalis; aliud, habere species rationalis ut rationale est, seu repræsentantes rationale formaliter; vi quarum possim rem discernere ab omni non rationali. Atque idè est, quòd res cognita hoc modo non debeat significari per τὸ *rationale*, sed per vocem *animal*, non quòd ea rationalis non sit, sed quòd non sit cognita cognitione tali, ut illi hæc vox, significans rem tam distinctè cognitam, ut vi istius cognitionis distinguatur ab omni non rationali, conveniat. Ex quibus tamen non sequitur, rem eandem cognosci clarè & non cognosci clarè; nam (præterquam si τὸ *non clarè* accipiat positive, significetque idem, quod *obscure* cognosci, non efficiat propositionem alteri contradictoriam) dum cognosco *animal* formaliter, seu principium sensationum in ordine ad sensationes, eâdem

eâdem



eâdem claritate, eâdem cognitione cognosco principium ratiocinationum in ordine ad sensationes, & obscure in ordine ad ratiocinationes: imò cognitâ hac ratione animalis formaliter, cognosco etiam rationale formaliter, id est, entitatem illam, quæ simul formaliter est animal & rationale, seu etiam cognosco rationale formaliter in ordine ad sensationes, non tamen formaliter in ordine ad proprium connotatum. Nequè contra hanc doctrinam opponas: ubi datur conceptus formaliter præscindens, ibi dari debet objectum præcisum, consequenter præcisioni formali debet correspondere præcisio objectiva; nam conceptui præscindenti formaliter correspondet objectum formaliter præcisum, quod appellare poteris præcisionem formalem rationis, quæ denominatio extrinseca non distinguitur à conceptu præscindente formaliter & objecto sic diversimodè cognito, adeoque nihil dicit tenens se ex parte objecti.

XVI. Gradus metaphysici ( qui sunt prædicata illa communia superiora & inferiora recensita in prædicamento ) in eodem individuo distinguuntur sola ratione ratiocinata;

¶